

Domef- day booke. Liber Indiarum Gervasio Tilburienfi. tuis meminerim, quod ejus subinde memoria ufurpanda fit, quemque librum *Guil. Librum Censualem, Anglia Notitiam, Anglia commentarios Censuales, Acta publica & Anglia lustrum* nominare placet.

Jurey da 12.

Duodecim vii.

Quod vero Polydorus Virgilius scribit Guilielmum illum Victorem Duodecim virorum judicium primum induxisse, nihil à vero alienius. Multis enim ante annis in usu fuisse certissimum est ex legibus Ethelredi. Nec est cur terribile judicium vocaret. E populo enim XII viri liberi & legales è vicinia rite evocantur, hi jurejurando obligantur vere de facto sententiam dicere, advocatos coram tribunali utrinque differentes, & testes audiunt; inde acceptis utriusque partis instrumentis concluduntur, sine cibo, potu & igne detinentur (nisi forte periculum sit ne ex illis quispiam moriatur) donec de facto inter se convenerint, quod ubi coram iudice pronunciantur, ille de jure sententiam profert. Hanc enim rationem prudentissimi majores nostri optimam esse ad veritatem eliciendam, tum ad corruptelas evitandas, & affectus intercludendos existimant.

Normannorum bellica virtus.

Quantum vero virtute bellica præstiterunt Normanni, alii dixerint, satis mihi sit dixisse, quod inter bellicosissimas gentes positi, non obsequiis, sed armis semper tuti fuerint, & nobilissima regna in Anglia & Sicilia constituerint. Tancredus enim Richardi Ducis Normanniæ ejus nominis secundi nepos, ejusque posterius res præclaras in Italia gesserunt, profligatis è Sicilia Saracenis regnum constituerunt; Vnde Siculus historicus ingenue agnoscit Siculos Normannis acceptum referre quod in solo patrio permanent, quod libere vivunt, & quod sint Christiani. In terra etiam Sancta eorum bellica virtus singulari cum laude inclaruit. Vnde Rogerus Hovedenus, *Audax Francia Normannorum militiam experta delituit, ferox Anglia captiva succubuit, dives Apulia sortita refloruit, Hierosolyma famosa, & insignis Antiochia se utraque supposit.* Iam inde Anglia non minus belli gloria, quam humanitatis cultu inter florentissimas orbis Christiani gentes inprimis floruit. Adeo ut ad custodiam corporis Constan-

Th. Fazellus lib. 6. Decadis posterioris.

tinopolitanorum Imperatorum evocati fuerint Angli, Ioannes enim Alexii Comeni filius, ut refert noster Malmesburienfis, eorum fidem suspiciens precipue familiaritati suæ applicabat, amorem eorum filio transcribens, & jam inde longo tempore fuerint Imperatorum illorum satellites, *Inglini Bipenniseri, Nicetæ Choniata, Barangi Curopalata* dicti. *Qui ubique Imperatorem prosequantur ferentes humeris securas quas tollebant cum Imperator ex Oratorio spectandum se exhibebat, Anglice vitam diuturnam securas suas collidentes ut sonitum ederent, comprecabantur.* Maculam vero quam Chalcondilas nostræ genti de uxoribus communibus asperfit, ipsa veritas eluit, & effluentem Græculi vanitatem comprimit. Nec enim, uti inquit eruditissimus & optimus mihi amicus Ortelius in hac ipsa re, semper vera sunt, quæ à quolibet de quibusvis narrantur. Hi sunt qui Britanniam infederunt populi, è quibus supersunt Britanni, Saxones sive Angli, Normannique permisti, & ad Septentriones Scoti, unde duo in Insula regna, ANGLIA nimirum, & SCOTIA, diu divisa, nunc sub uno imperiali diademate in Iacobo potentissimo Principe auspiciatissime conjuncta.

Angli satellites Imperatorum Constantinopolis. Barangi Chalcondilas


De Flandris qui ante quadringentos annos huc demigrarunt, & sedes in Wallia regum permisu acceperunt, nihil attinet nunc dicere, alibi dicemus. Sed hanc rem cum Seneca concludamus, *Hinc manifestum nihil eodem loco mansisse quo genitum est. Astidius humani generis discursus est. Quotidie aliquid in tam magno orbe mutatur. Nova urbium fundamenta jaciuntur. Nova gentium nomina extinctis nominibus prioribus, aut in accessionem validioris conversis, oriuntur.* Cumque omnes hæ gentes quæ in Britanniam irruerunt Septentrionales fuerint, ut reliquæ quæ sub idem tempus Europam universam occuparunt, & postea Asiam, verissime & è sacrarum literarum autoritate scripsit Nicephorus, *Vt terrores de caelo sæpe hominibus à Deo incutiuntur, ut fulmina, incendia & imbres procellosi; sæpe à terra, ut telluris hiatus, & quassationes; sæpe ex aère, ut typhones & nimbi: ita hi à Deo asservantur Septentrionales ac Hyperborei terrores ut poena quadam, quando, & quibus providentia divina visum fuerit, immittantur.*

In Pembrochia Comitatu. De consolatione ad Albinam.

Nicephorus.

BRITANNIÆ DIVISIO.

Quomodo regiones dividuntur.



AD Britannia divisionem jam accingamur. Dividuntur regiones à Geographis, vel φυσικῶς secundum naturam fluminum, & montium, vel ἔθνικῶς secundum gentium habitationes, vel πολιτικῶς, & πολιτικῶς, id est, varie & politicè,

juxta principum voluntates, & jurisdictiones. Quum autem de primo & secundo hujus divisionis genere sparsim per librum tractabitur, tertia illa politica hujus loci propria videtur: quæ tanta tamen superiorum temporum iniquitate circumfusa est caligine, ut multo facilius sit in hac re falsa convincere, quam vera invenire.

Historici nostri antiquissimam Britannia divisionem fuisse contendunt, qua in *Loegriam, Cambriam, & Albaniam* partiuntur, id est, ut explicatius

dicam, in Angliam, Walliam, & Scotiam. Sed hanc recentiore esse crediderim, tum quod triplex sit; à tribus enim populis, Anglis, Cambriis, & Scotis, qui postremo insulam inter se dividerunt, enata videtur: tum quod ejusmodi partitio nusquam in classicis authoribus appareat ante nostrum Galfredum Monumethensem. Fabula enim, ut Critici nostri seculi existimant, constare non poterat, nisi ille è Bruto tres filios Locrinum, Cambrium, & Albanactum progenuisset, eo quod hic totidem, cum ille vixerit, florent gentes: ut antea Brutum creasset, eo quod hæc insula Britannia diceretur. Nec dubitant quin plures ille liberos è Bruto procreasse, si plures diversæ gentes eo tempore in Britannia extitissent.

Vetustissima Britannia divisio illa pluribus eruditus videtur, quæ est apud Ptolemæum in